

cum titulo sicut immobilia, atque adeo triginta annis, si specialis titulus desit. Servitutes autem *activae non apparentes* praescriptioni non sunt obnoxiae absque titulo. Dicuntur autem *non apparentes*, quae *per se* non patent, ut v. gr. est prohibitio aedificandi in tali fundo, vel aedificium ultra talem altitudinem extollendi. — An vero cum titulo praescribi possint decennio ut immobilia, *controvertitur*.

4^o Pro rebus *mobilibus* Iure Romano requiruntur tres anni cum titulo, triginta vero sine titulo. — Ex Iure autem *Gallico*, tres anni sine titulo pro rebus furtivis et inventis; quoad caeteras vero, sola possessio sufficit (art. 2279.).

5^o Si res aliena possessa fuerit a pluribus successive, ultimus possessor ad praescribendum computare potest omne tempus, quo ab aliis bona fide detenta fuerit, etiamsi eam a paucis diebus habeat, quando praescriptionis tempus completur.

6^o In Iure Rom. et Can. requiruntur 40. anni ad praescribenda bona ecclesiastica; et 100. pro bonis Ecclesiae romanae, vel S. Ioannis Lateranensis. Ius autem Gallicum bona ecclesiastica ab aliis non distinguit (22).

II. Quoad praescriptionem *liberativam*:

1^o Servitutes *passivae*, census, et omnia debita, supposita bona fide, extinguuntur post triginta annos. — S. Lig. n. 513. — Lugo, etc. — (C. C. 2262.).

2^o Ex Iure Gallico quinque anni sufficiunt ad praescribendum pensiones ex censibus debitas, pensiones alimentarias, pretium locationis domorum, praediorum, et quidquid quotannis, vel post tempus brevius solvendum est (art. 2277.). — Sunt etiam aliae praescriptiones breviores: sic v. gr. sex menses tantum requiruntur pro stipendiis operariorum, hospitem, etc.; unus annus pro stipendiis medicorum, famulorum, etc.; —

(22) Vestigium hic habes reprobi sensus, in quem aetas harum legum auctrix traditam se prodit. Quod enim speciale aliquod obsequium seu reverentia rebus Deo sacris debeat, adeo vel ipsum naturalis rationis dictamen suggerit, ut id receptum aetate qualibet et apud omnes populos, utut paganos ac barbaros, reperiamus.

Adde quod singulare aliquod pro bonis ecclesiasticis privilegium haec etiam de causa necessarium visum antiquae sapientiae fuerat, quod cum bona ista ab iis administrantur, qui ipsorum non habent

dominium, propterea merito aequiparanda videbantur bonis pupillorum ac minorenium, quorum singularem curam nunquam leges non susceperunt, licet alioqui tutoribus aut curatoribus non destituantur.

Bouvier (*De Iur. et Iust. c. 2. §. 4. sect. 3. punct. 2. prop. 2.*) bene limitat, praescriptionem honorum ecclesiasticorum eodem modo ac, aliorum, fieri, *saltem in foro externo*. Nam reipsa civiles leges naturalibus Ecclesiae iuribus derogare, nisi penes paganos legumlatores, non possunt.

duo anni pro stipendiis procuratorum, causa finita (23). — (Art. 2271. et seq.) (*).

585. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quandonam praescriptio dicatur interrupta?*

Resp. Quando ob impedimentum interpositum cessat tali modo, ut iterum inchoari debeat. Hoc autem duplici modo fieri potest: 1^o *naturaliter*, si praescribens amittat possessionem per tempus anno integro maius, aut si mala fides superveniat; 2^o *civiliter*, si lis moveatur *iuridice* circa possessionem, nec interpellatio a iudice reiecta fuerit. — *Sic Ius Rom. et Gall.* (**).

QUAER. 2^o *Quandonam dicatur praescriptio suspensa?*

Resp. Quando impedimentum ei obiicitur, ne procedat ulterius; scilicet 1^o dum iudicia exerceri nequeunt, v. gr. tempore pestis, belli; — 2^o contra Ecclesiam, dum caret rectore seu superiore; — 3^o contra pupillos toto tempore, quo pupilli remanent (24); — 4^o contra quemlibet, qui ius suum prosequi nequit. — *Sic iura communis.*

(23) Quoad ista quisque regionis suae leges consulere debet.

(*) In iure italico omnes actiones reales et personales praescribuntur lapsu 30. annorum, quin obiici valeat defectus tituli aut bonae fidei art. 2135.

Qui bona fide acquirit rem immobilem aut ius reale super illam, vi alicuius tituli, qui debite fuerit inscriptus et qui non sit nullus ob defectum formae, complet praescriptionem in sui favorem lapsu decennii a die inscriptionis art. 2137.

Lapsu triennii praescribuntur actiones magistrorum, qui pro tempore mensem excedente stipendia accipiunt, medicorum, chirurgorum pharmacopolarum, notariorum, architectorum etc. art. 2140.

Lapsu anni praescribuntur actiones magistrorum, qui in dies aut in mensem stipendia accipiunt, domesticorum, operariorum, eorum qui domos habent pro educatione etc. art. 2139.

Lapsu quinquennii annualitates praescribuntur reddituum perpetuorum et vitalitiorum, tum pensionum pro alimentis, locationes domorum et fundorum rusticorum,

usura pecuniae debita et generatim quidquid solvendum est anno absoluto aut intra minus temporis spatium art. 2144.

Actio proprietarii vel possessoris rei mobilis, pro ea furto ablata aut amissa recuperanda, praescribitur biennio: articulus 2146.

(**) In iure italico interruptitur praescriptio *naturaliter*, quando possessor temporis spatio annum superante privatur possessione: interruptitur *civiliter* per iudicalem rei petitionem, etsi petitio fiat coram iudice incompetenti, qua petitur, ut possessori inhibeat possessio vel res sequestretur. art. 2124. 2125.

(24) Contra bona pupillorum neque inchoari potest praescriptio, neque continuari, si inchoata contra praecessorem fuerit; idque ex iure communi valet tum de ordinarii, tum de extraordinarii et longissimi, scilicet *tricennalis* temporis praescriptione. Differt autem conditio minorennium, quod contra horum bona inchoari quidem aut continuari nequeat praescriptio temporis ordinarii, inchoari tamen et currere possit tricennalis praescriptio.

586. QUÆR. 3^o *An valeant in conscientia praescriptiones trium annorum pro rebus mobilibus furtivis et inventis, ut fert Ius Gallicum?*

Resp. 1^o *quoad res furtivas.* 1^o Fur, seu possessor malae fidei, nunquam praescribere potest, etiamsi lapsu temporis oblitus fuerit, se rem iniuste accepisse, cum possessionem mala fide inceperit. 2^o Emptor autem aut donatarius, qui rem bona fide a fure accepit, praescribere potest, si adsint caeterae conditiones ad praescriptionem requisitae (25).

(25) Huic controversiae occasionem dederunt duo articuli Codicis Gallici, nempe 2279. et 2280., quos deinde, utut cessante gallica invasione, retinuerunt etiam quidam Italiae codices, uti pedemontanus, parmensis, mutinensis et siculus, qui particulares codicis modo aboliti sunt.

Articulus 2279. sic se habet: *Quoad bona mobilia possessio eundem effectum producit ac titulus. Nihilominus ille, qui amisit rem aliquam, aut cui furto sublata haec fuit, revindicare eam potest trium annorum spatio, quod computandum est a die amissionis vel furti, ab illo, apud quem rem reperit, servata huic actione contra eum, a quo illam accepit.*

Articulus autem 2280: *Si actualis possessor rei furto ablatae aut amissae, eam emerit in nundinis vel mercatu, aut occasione publicae licitationis, aut a mercatore, qui eiusmodi merces dividat, proprietarius originarius (dominus) non potest eam sibi revindicare, nisi possessori solvat pretium, quo eam acquisivit.* Consentit ius italicum quoad hunc articulum, art. 709. non quoad priorem: cf. not. sub n. 583.

Quaestio itaque fit, num istae dispositiones quoad res furtivas valeant etiam in foro conscientiae, an vero eodem loco habendae sint, ac praescriptiones liberativae, quae mere eo spectant, ut ad minuendum litium numerum actio creditori in foro externo negetur. Et A., uti patet, opinioni adhaeret, quae illas dispositiones pro interno quoque foro admittit; quae opinio placuit et nonnullis aliis aetatis

nostrae scriptoribus contra certam veterum omnium sententiam, qui id recipiunt tantummodo quoad praescriptionem longissimi temporis, tricennalis scilicet, quo actiones omnes extinguuntur.

Dicendum tamen est, istam recentiorum opinionem hinc quidem haud satis firmi rationibus, inde vero gravibus premi difficultatibus. Et sane rationem afferunt, alii quidem, quod *mens legislatoris videatur, ut lex illa in conscientia obtineat*; alii vero, quod *lex haberi uti iusta debeat, propterea quod commercio, bono publico, paci et tranquillitati possessionum utilissima sit.* Quae postrema est R.mi Bouvier.

At enim quoad primam rationem, negandum prorsus est, eas dispositiones ex mente legislatoris in conscientia posse obtinere. Et sane cum lex 1^o nullam bonam fidem exigat, 2^o nullum exigat possessionis titulum praeter ipsam possessionem, ac 3^o mere exigat, ut res furtiva non reperiatur a domino ante triennium; profecto auctores legis, nisi eos stupidissimos fingamus, pervidere facile potuerunt, contingere posse, ut res furtiva vi legis per praescriptionem adiudicanda sit ipsismet furibus ac latronibus.

Nec prodesse satis videtur, quod isti scriptores cum A. addunt, se conditionem apponere, *dummodo adsint aliae conditiones ad praescribendum requisitae*, aut quod iuxta (veterem) pedemontanum codicem possessio habeat vim tituli solum *in favorem tertii.* Nam hic quaestio esse debet, an vis transferendi dominium tribui queat legi *in se spectatae et prouti iacet.*

Resp. 2^o *quoad res inventas.* Secundus possessor, seu successor inventoris titulo emptionis, donationis, etc. praescribere potest, ut de successore furis dictum est. — An vero primus possessor rei inventae dici possit

Atqui lex, prouti iacet, conditiones, quas isti scriptores addunt, non postulat, sed rem etiam a fure praescribi permittit. Ergo Limitatio autem in codice pedemontano apposta non impedit, quominus praescribere possit *tertius*, qui conscius sit, rem esse furtivam. Quocirca sapienter Codex austriacus (§. 367.) saltem expresse cavet, ut hic *tertius* esset *bonae fidei* possessor: quod et hodiernus Codex italicus habet.

Et his quidem robur accedit ex comparatione cum eiusdem codicis articulis, qui praescriptiones liberativas statuunt, tum etiam cum articulo 2269, qui decernit, ad praescribenda bona immobilia sufficere, quod bona fides affuerit tempore acquisitae possessionis. Nam eodem modo vi praescriptionis res adiudicatur possessori. At tamen et ipsimet scriptores negant, liberativas praescriptiones in conscientia valere, et idipsum statuunt oportet de eo, cui bona fides, quae tempore acquisitionis non deficit, desit deinde ante impletum praescribendi tempus.

Quod vero spectat ad articulum 2280., qui statuit, rem furtivam a domino recuperari non posse, nisi tanti eum redimat, quanti eam quispiam *in nundinis aut a mercatore*, etc. emerit; reipsa ad praescriptionis argumentum non pertinet. Id enim servandum sancit quovis tempore etiam intra triennium, adeo ut etiam biduo post furtum contingere id possit, v. gr. si fur in nundinis alterius pagi vitulum aut equum furtivum postridie furti vendat.

Quaestio igitur eo adducitur, an iusta videri lex possit, quae quasi supponit, a fure transferri dominium posse in eminentem in nundinis, etc. Et ius quidem commune semper negavit dominium transferri; atque adeo domino ius et actionem in rem ipsam servavit, quo posset sibi eam vindicare,

quisquis tandem, sive fur sive alius, nunc illam detineret. Quocirca plane risum movet, quod aut compilatores codicis gallici, aut nescio quis alius, huic legi subiecerint nonnullas allegationes ex iure romano communi, ubi agit de *usucapione rei alienae*, quae, v. gr. vendatur bona fide a non domino, vel ab interdicto ad alienandum. Nam stupidus sit oportet, aut prorsus in iure romano peregrinus, qui rem *alienam* confundat cum re furtiva. Quin imo L. 10. ff. *De usurp. et usucap.*, quam et isti allegarunt, evincit oppositum, dum usucapi posse dicit rem *alienam*, usucapi vero rem *furtivam* negat.

Caeterum cum ius romanum plane conforme sit iuri naturae, cui plane repugnat, quod dominus cogatur emere rem suam; et rei dominium domino servari supponat etiam ius gallicum, quando ante impletum triennium ius facit domino rem sibi revindicandi, dummodo possessor eam in nundinis, etc. non acquisiverit; oportet profecto, ut quod de iustitia praescriptionum secundum ius naturale, civile commune, et canonicum generatim statuitur, id etiam in casu valeret, nimirum tam gravem adesse rationem, cur domino res sua auferatur, ut hanc domini spoliationem necessariam efficeret. Et in eam rem Reverendissimus D. Bouvier deprompsit commercii utilitatem, et possessionum tranquillitatem.

At enim quod adsit ista urgens necessitatis ratio, valde dubium iniicit, quod per tot saecula nemo eam perviderit; imo viderit necessarium esse ut in eo casu lex naturae servetur. Nec obicere quis poterit diversa temporum adiuncta; quin imo quo magis corrupta apparet societas, et ars nocendi callidior et audacior, eo gravior urgebit necessitas, ut respublica per leges iura proprietatis tueatur.

bonae fidei, praemissa debita diligentia ad dominium inveniendum, et ita praescribere, *controvertitur*. Affirmandum autem videtur; quia si spectatis circumstantiis, adhibitaque debita diligentia, dominus inveniri nequeat, nec affulgeat spes ulla cum inveniendi, hic rei dominio ita excidit, ut res nullius esse censeatur, atque adeo primi occupantis fiat. Inventor igitur in eo casu incipere potest rei possessionem cum animo eam retinendi ut propriam. — Elbel, n. 172. — Sporer, *de Inventione*, n. 187.

587. — QUAER. 4^o *An caetera mobilia praescribi possint in conscientia solo titulo possessionis (26) iuxta Ius Gallicum?*

Resp. Controvertitur. Alii requirunt triginta annos, quia nullum

Quoad rationes vero a Bouvier depromptas, numquid ad hanc usque aetatem, aut in locis, ubi lex ea non viget, commercium praepeditum est adeo, ut manifeste desideranda sit etiam rerum furtivarum libera et tuta permutatio? Aut deterreri solemus a rebus, quae in nundinis seu penes mercatores prostant, emendis, aut de rerum sic emptarum tranquilla possessione trepidare solemus?

Contra vero quid valet microscopicum illud commercii commodum prae gravibus incommodis ex eadem lege profluentibus? Et gravissimum sane incommodum est, quod maleficio aliorum dominus rerum suarum non possessione modo, sed prorsus dominio atque omni iure excidat. Neque dicas, in pari conditione versari rei furtivae emptorem, si a domino res evincatur. Nam dominus evincit, quod iure naturae suum est; emptor vero contra retinet quod iure naturae suum non est, sed alterius, damnumque, furis fraude sibi allatum, iniusta alterius innoxii spoliatione compensat.

Gravissimum itidem incommodum societati inducit lex, quae amplissimum favorem furibus invehit. Facilis quippe ratio sic suppetit fruendi furtorum fructibus, quando societate cum eiusdem farinae hominibus inita, ad tutissimum rerum furtivarum praesidium sufficit, quod res furtiva ad alius manus in nundinis devenerit.

(26) Superius (in not. ad n. 583.) iam advertimus, repugnare hypothesim *bonae fidei* ad praescribendum in foro interno necessariae, quando desit quivis titulus, propter quem quis credat suam esse rem quampiam, quam uti suam vult retinere. Quocirca diximus, effatum illud, *possessionem quoad mobilia valere pro titulo*, mere in foro externo deservire ad praesumendum pro legitima possessione in ordine ad praescriptionem inducendam, uti etiam articulus 2230. eiusdem codicis insinuat.

Proinde opportunius hic quaestio fieret, quantum temporis requiratur ad praescribenda caetera mobilia (quae scilicet neque res *inventae* nec *furtivae* dici possint): si aliae conditiones necessariae non desint: qua de re minus forte opportune A. exempla ponit rei *locatae* vel *depositae* (nam etiam iuxta gallicum codicem, art. 2236. conductor et depositarius rei alienae praescribere hanc nullatenus ullo tempore possunt), nisi exempla illa intelligantur de re *locata* vel *deposita*, quae per errorem bona fide in manus alterius quopiam titulo devenerit.

Caeterum quod scriptores ab A. memorati supponunt, ius novum gallicum prorsus siluisse de mobilibus quae censu rerum amissarum aut furtivarum nequaquam contineri putant, hoc enimvero abhorrere a verisimili videtur. Verumtamen

tempus statuitur a iure, nec videtur sufficiens solus titulus possessionis. Id verum esse potest, quatenus per 30. annos extinguuntur omnes actiones, etiam titulo speciali deficiente. Alii requirunt tres annos tantum. Nam silet Ius Gallicum novum. Vetus autem fuit abrogatum. Hoc autem, ut videtur, admitti potest. Etenim si ius admittit praescriptionem triennem pro rebus furtivis et inventis, etiam pro aliis illam admittere debet. — Alii *probabilius* admittunt, *per se* sufficere titulum possessionis. Nec videntur adesse tanta incommoda in hac sententia; quia praeter res furtivas et res inventas, quae triennio praescribuntur, casus possessionis rei alienae valde rari sunt, v. gr. in re locata, vel deposita; et cum possessio pollere debeat variis conditionibus, quae unico instanti impleri non possunt, saepius recidet haec praescriptio in praescriptionem triennem, quae in conscientia admitti potest.

588. — QUAER. 5^o *An valeant in conscientia praescriptiones liberaliticae quinque annorum ex iure Gallico?*

Resp. 1^o Neg., si de primo debitore agatur, quia in eo supponi nequit bona fides, quae ignorantiam debiti omnino requirit.

Resp. 2^o Affirm., quoad primi debitoris successores saltem titulo particulari, iuxta dicenda infra n. 590., si debitum auctoris ignoraverint. — Gousset, n. 719.

QUAER. 6^o *An praescriptiones liberaliticae triennio minores Iuris Gallici valeant in conscientia?*

Resp. Neg., quia in talibus praescriptionibus legislator intentionem

in hac hypothesi rationabilior sane videretur opinio, quam postremam A. refert, non quatenus statuit, *sufficere titulum possessionis* (quae verba nullum sensum probabilem ibi habere possunt), sed quatenus triennem possessionem cum bona fide ad praescribendum sufficere etiam in conscientia admittit. Nam absurde hisce mobilibus negaretur privilegium, quod ne furtivis quidem rebus idem codex denegat. Sed enim, ut dictum est, haec hypothesis non videtur verisimilis. Et siquidem in re, quae obscura videri potuit, opinari fas est, putaverim, eiusmodi quoque mobilia in codice gallico nomine *rerum amissarum* contineri. Haud obscura enim partitio rerum est, ut aliae sine alterius maleficio, aliae vero ex maleficio alieno possessioni dominorum subtrahantur. Et sicut in iure *res furtiva* latissimo sensu

accipitur pro re qualibet, quam citra domini voluntatem quis alienam sciens, atque adeo per maleficio, contrectaverit seu alienaverit (*Instit. De Usucap. §. 3. — L. 2. C. De Usucap. pro donato. — L. 1. C. De Usucap. pro empt.*); ita lato sed vero sensu *res amissa* dici potest, quaecumque res citra voluntatem domini absque cuiusquam maleficio, sed casu aut ignoranter in alterius possessionem transit, licet non omnis res *amissa* hoc sensu possit sensu aequo proprio dici *inventae* quoad illum, qui ipsam possidere incipit. Et reipsa vocem *amittendi* latiori hoc sensu usurpari etiam ex iure communi (Vid. ff. lib. 8. tit. VI. *Quemadmodum servitutes amittuntur*, et lib. 41. tit. II. *De acquirenda et amittenda possessione*) facile patet.

non habet dominium transferendi. Sic clare supponit art. 2275. Codicis civilis, iuxta quem ii, qui praescriptionem opponunt, tenentur iurare, se debitum revera solvisse (*).

V. Bona Fides.

589. — Bona fides in hac materia est firma persuasio, qua quis prudenter iudicat, rem a se possessam esse suam.

I. Haec bona fides omnino necessaria est ad acquirendum dominium ex praescriptione: ratio est, quia quisquis advertit, se possidere bona aliena, eo ipso statim obligationem restitutionis contrahit, cum res aliena tum iure naturali, tum etiam positivo, sive divino sive humano, scienter neque subripi, neque retineri possit. Constat etiam ex *Conc. Lateran. IV.* necnon ex secunda regula Iuris in 6^o quae sic se habet: *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* Unde dispositiones iuris civilis, in quantum bonam fidem non exigunt, aut eam tantum in principio possessionis exigunt, pro foro interno non valent, et velut mera recursus idest *actionis* contra alium denegatio sunt habendae (**).

II. Requiritur autem bona fides non solum ad praescriptionem *acquisitivam*, sed etiam ad *liberativam*, quia pro utraque eadem rationes et auctoritates aequae urgent.

Verumtamen iuxta multos theologos et iuristas, bona fides non requiritur ad se liberandum ab aliqua *servitute passiva*, seu potius dicendum, bonam fidem in hoc consistere, ut nullum ponatur obstaculum, quo alter ab usu iuris sui impediatur. Ratio est, quia praescribens nullo ligatur debito erga eum, contra quem praescribit; nec tenetur, decurrente praescriptionis tempore, monere alium, ut contra ipsum servitutis iure utatur. Hoc tamen alii negant. — Vide Bouvier (27), etc.

(*) Idem iure italico habet locum etiam pro praescriptionibus triennialibus et quibusdam quinquennialibus artt. 2142. et 2143. §. 2.

(**) Ius quidem civile Romanum bonam fidem in initio tantum possessionis exigebat, non vero in eius decursu (l. un. *de Usucapione transformanda*, l. 44. §. 2. dig. *de Usucapionibus*) quam dispositionem C. G. art. 2269. et I. art. 762. receperunt. Reprobavit tamen Ecclesia c. *Quoniam de Praescriptionibus*, statuens, oportere, ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae.

(27) Bouvier (*De Iure*, etc. part. I. cap. 2. art. I. sect. 3. punct. 2.) mere dicit *videri aliter sensitse* Pothier. Hic autem siquidem a communi sententia dissensit (nam quae ex eo indicat Bouvier, ambigua sunt), argumento caeteroquin utitur, quod esset mera principii petitio.

Insuper advertendum fuerat, ex communi Theologorum et Iuriconsultorum sententia id, quod dicitur, ad extinguendam praescriptionem servitutum non *requiri bonam fidem*, valere tantum quoad servitutes praediorum rusticorum; ad quam praescriptionem non requiritur ullus actus praescribentis, sed tantum non usus illius,

590. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An praescribat heres, qui dubitat de bona fide antecessorum?*

Resp. Affirm., quia mala fides *per se et ordinarie* praesumi non debet, cum nemo malus praesumatur, nisi probetur. — *Ita communiter.*

QUAER. 2^o *An mala fides antecessoris semper impediatur a praescriptione?*

Resp. 1^o *Affirm.*, si heres succedat ex titulo generali, saltem pro praescriptionibus ordinariis, seu 10. vel 20. annorum; quia fictione iuris heres censetur esse unica persona moralis cum auctore (28).

cui ius servitutis competit. Aliter vero in servitutibus urbanis dicendum est, contra quas cum non praescribatur sine aliquo actu positivo praescribentis, requiritur, ut hic ponatur cum bona fide, qua quis se liberum a servitute putet: alioquin actus ille positivus fieret iniuste, nec praescribendo locum concederet.

Sed ista forte Bouvier, non secus ac A., omisit, quia nihil inter servitutes urbanas ac rusticas distinguit codex gallicus: qui praeterea in hoc etiam differt a iure communi romano, quod tum ad acquirendum ius servitutis, quod praescriptioni acquiri potest tum ad extinguendas praescriptionis ope servitutes, ille quidem (art. 690. 706.) longissimum triginta annorum spatium exigit: idem statuit C. I. art. 629. 666. hoc vero idem tempus, ad praescribenda immobilia, praefiniat, nimirum (l. 13. C. *De Servit.*) decenniis inter praesentes, vicenniis inter absentes.

(28) De vi huius rationis sic egregie Lugo (*De Iust. disp.* 7. n. 59.): *Ratio communis afferri solet, quod scilicet una et eadem reputatur possessio defuncti et heredis; et cum illa una possessio initium habuerit vitiosum, tota possessio iuris fictione reputatur vitiosa. Haec tamen ratio, si nude accipiatur, videtur infirma.* Et rationem reddit, quia *si defunctus ipso primo anno habuisset malam fidem, et tempore sequenti haberet bonam, mala fides praecedens non noceret possessioni eiusdem cum bona fide pro tempore sequenti, sed pos-*

set ex tunc incipere praescriptionem. Deinde prosequitur (n. 60.): *Ratio ergo huius decisionis esse debet, quod successor universalis, hoc est, heres ita repraesentat personam defuncti, ut succedat in omnes obligationes et onera: cum ergo praecessor ob malam fidem et iniustam rei acceptionem et retentionem contraxerit obligationem restituendi et impediendi praescriptionem illius rei, et resarciendi omnia damna, heres in hac ipsa obligatione succedit; et ideo non potest cooperari praescriptioni, quam ipsemet tenetur impedire, pro qua debet restituere. In quo sensu intelligi potest ratio communis supra adducta; non quod possessio heredis et defuncti sit utcumque eadem, sed ita ut heres semper repraesentet defunctum cum omnibus suis vitiis: quare sicut defunctus cum sua mala fide nunquam posset praescribere, sic heres, qui eum repraesentat, qualis decessit cum illa mala fide, censeatur eandem repraesentative retinere, et ideo non possit praescribere.*

Et hinc ratio est, cur idem Lugo neget, heredem vel tricennalis praescriptionis beneficio frui posse, cum semper censeatur deesse bona illa fides, quae etiam ad longissimi temporis praescriptionem requiritur. Quae quidem sententia, iuri romano plane conformis, *communis et recepta* est, ut inquit Laymann (lib. 3. *De Iust.* Tr. 1. cap. 8. n. 18.), qui pergit: *Exemplum est, si res defuncto custodiae*